1532 d. 17. Febr.

25

# Sigismundus Primus Rex Poloniae
## Cornelio Scheppero Secretario Caesaris

Magnifice sincere Nobis dilecte. Quando semel tuam integritatem prospeximus et simul intelleximus, co luimus et animum tuum ad praestanda Nobis et Suae Conjuge Nostrae obsequia esse propensum, curam Negociorum Nostrorum, quae quandoque in Aula Caesarea Maiestatis Nobis et Suae Conjugi Nostrae obtingent, committere Tibi decrevimus. Nam Reverendum Dominum Culmensem Episcopum, qui multo tempore isthic Oratorem Nostrum agebat, exigentibus certis domesticis Nostris negociis tandem in Patriam revocavimus, in cujus locum te propter negocia Nostra et Suae Conjugis Nostrae, subrogandum hoc jam tempore voluimus, et subrogamus praesentibus et aliis literis Nostris, quas in commendationem tuam Caesareae Maiestati scripsimus, quare abs te postulamus ut et suscipere hoc munus non graveris, et quantum virtus tua et negocia Nostra ac Suae Conjugis Nostrae postulabunt, officium tuum in recte curandis rebus, nobis commendari cures. quod nos vicissim Gratia et munificentia Nostra tibi referre, per omnem occasionem, studebimus. Ideam autque in

negociis

negotiis Serenissimae Conjugis Nostrae in praesens agere debebis, instructionem tibi dabit, in discessu suo Rdus Dominus Episcopus Culmensis Orator Noster, quia fretus tu deinde, agere apud Mtem Caesaream, curabis quod ad commodum, et Dignitatē ipsius Suae Conjugis Nostrae et Nostram pertinere fueris arbitratus

Datum Cracoviae 17 Februarii Anno Domini. 1532. Regni Vero Nostri. 26.